

S P L E N D I D I S S I M O - A T Q V E

integerrimo uiro Andreae Eggerdæ Rostochiensis professori longe celeberrimo.

Ioannes Nouiomagus S. P. D.



Letteræ tuæ ornatissime Andrea quas postremo accepi, incredibili me lætitia affecerunt, e quibus etsi singularem tuam modestiam agnosco in honoris recusatione habitam, impensius tamen

tibi gratulandum puto, quanquam serius mihi ad te scribendi toto pene orbe remotum, propter raritatem tabellariorum occasio data est, quod cum inuitus ad eum dignitatis gradum (quo laudatis & eruditis uiris in Academicis nulla amplior uel splendidior contingere potest) euectus sis: tamen tanta animi uirtute ac magnitudine hac administratione fungi diceris, ut mihi persuadeam propter amorem & conatum, quem erga bonas literas habes, tum propter publicam authoritatem tibi à professorum ordine decretam, aliquod in uestra repub. incrementum rei literariæ per te accessurum. Quare etsi sera sit gratulatio hæc mi Andrea uere tamen & ex animo tibi

A 2